Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Omne peccatum quodcunque
fecerit homo extra corpus est.
qui autem fornicatur in corpus
suum peccat. An nescitis quia me
bra vestra templum sunt spiritus sancti
qui est in vobis habitat quem ha
betis a deo et non estis vestri.
Empti enim estis pretio magno.
Glorificate et portate deum in
corde et corpore vestro. S. matheum. IX.
Nullo t. Dicit illis pharisei.
Qui non est mecum contra me est.
Et qui non congregat mecum
spargit. Ideo dico vobis. omne
peccatum et blasphemie remittetur
hominibus. spiritus autem blasphemie
non remittetur. Et quicumque
dixerit verbum contra filium hominis
remittetur ei. Qui autem dixerit
contra spiritum sanctum non remittetur
ei. neque in hoc seculo neque in futuro.
Aut facite arborem bonam et fruc
tum eius bonum. aut facite arborem
malam et fructum eius malum. De
quidem ex fructu arbor cognoscitur.
Progenies viperarum. quo
modo potestis bona loqui cum sitis
mali. Ex habundantia enim cor
dis os loquitur. Bonus homo de
bono thesauro profert bona.
Et malus homo de malo the
sauro profert mala. Dico autem
vobis. quia omne verbum otiosum
quod locuti fuerint homines reddent
rationem de eo in die iudicii. Ex
uerbis enim tuis iustificaberis. et
ex uerbis tuis condemnaberis.

Epistola vij. Ad corinthios. IX.
Fratres. Cum liber essem ex om
nibus omnium me seruum feci ut plures
lucrifacerem. Factus sum iudeis tam
quam iudeus ut iudeos lucrarer.
Hijs autem qui sub lege sunt quasi
sub lege essem cum ipse non essem sub
lege. ut eos qui sub lege erant lu
crifacerem. Hijs qui sine lege erant
tamquam sine lege essem cum sine le
ge dei non essem sed in lege christi esse
ut lucrifacerem eos qui sine lege
erant. Factus sum infirmus tam
quam infirmus ut infirmos lu
crifacerem. Omnibus omnia factus
sum ut omnis facerem saluos. Omnia
autem facio propter euangelium ut
particeps eius efficiar. S. lucam. IX
Nullo t. Interrogatus ihesus a
pharisei quando veniret regnum dei.
Respondit eis et dixit. Non veniet
regnum dei cum obseruatione. neque
dicent ecce hic et ecce illic. Ecce enim
regnum dei intra vos est. Et ait
ad discipulos suos. Venient dies
quando desideretis videre unum die
filij hominis et non videbitis et di
cent vobis. Ecce hic et ecce illic.
Nolite ire neque sectemini. Nam
sicut fulgur coruscans de sub celo
in eo quod sub celo sunt fulget.
ita erit filius hominis in die sua.
Primum autem oportet illum multa